

BALASSA BÁLINT LEVELE ZAMOJSZKI JÁNOS LENGYEL  
FŐCANCELLÁRHOZ ÉS FŐVEZÉRHEZ.

*Dembica 1590, máj. 9*

Illustrissime domine mihi observandissime. Perpetua servitia mea Vestrae illustrissimae Dominationi commendo.

Antequam humanissimae Vestrae illustrissimae Dominationis litterae a magnifico domino Francisco Vesselenio mihi redditae fuissent, jam et ab illustrissimo cardinali Bathoreo et illustri palatino Lublinensi et ab hoc ipso magnifico domino Francisco Vesseleni ad hoc bellum turcicum fueram invitatus, quibus etiam non modo animum meum ab hoc bello minime alienum esse ostenderam, verum etiam rationes proposueram, quibus stipendium cum mihi ipsi, tum vero iis, qui ex praesidiis Ungariae se ad me venturos, operasque suas egregie navaturos fore, si quidem de stipendio certam infallibilemque rationem inirem, polliciti fuerant, decerni cuperem. Ad quas meas propositiones cum responsum certum expecto, ecce exoptanti mihi litterae Vestrae illustrissimae Dominationis exoptatissimae redduntur plenae humanitatis, plenae benevolentiae quoque, quae non modo currentem (quod aiunt) me incitarunt, verum etiam omnem, quam de certitudine stipendii non tam mei, quam militum meorum conceperam haesitationem ademerunt; maxime quod et magnifico domino Vesselenio plenam mecum transigendi facultatem datam esse intelligerem, qui iam mecum plane quoque omnibus de rebus transegit, transactionisque condiciones ad Vestram illustrissimam Dominationem transmisit. Quarum etiam litterarum lectione erectus atque animatus plane iam confido nihil minus evenire posse, quam me militesque meos, qui patriam, certaque et honorifica stipendia inserviendi Vestrae illustrissimae Dominationi gratia derelicturi sunt debitis suis stipendiis defraudatum iri. Quamobrem iam me sodalitati magnifici domini Francisci Vesselenii addixi: eius dicto audiens sub imperio Vestrae illustrissimae Dominationis. Utinam vero tantum mihi beneficii Deus optimus maximus attribuat, ut tamquam honorificam Vestrae illustrissimae Dominationis invitationem, vel sanguine profundendo promereri possim, nec gratius nec charius profecto quidquam mihi contingere posset, quam comprobare haud immerito me a vestra illustrissima Dominatione tam amanter esse ad hoc bellum accitum. Deus conservet Vestram illustrissimam Dominationem florentem atque foelicissimam etc.

Datum Demb[i]nae die 9 Maji anno domini 1590

Eiusdem Vestrae illustrissimae Dominationis

servus perpetuus

Valentinus Balassa de Gyarmath mp.<sup>1</sup>

<sup>1</sup> Az mp. jegye BBL betűk alakját mutatja.

*Külczim*: Illustrissimo domino domino Joanni de Zamoscie supremo regni Polonie cancellario exercituumque generali etc. etc. capitaneo etc. domino mihi observandissimo.

*Hátán*: Bethlen Ferencz írásával: Balassa Bálint írta Zamojszki Jánosnak az lengyelországi nagy cancellariusnak

(P. h.)

(Eredetije a gróf Bethlen család keresdi levéltárában.)

Közli DR. SZÁDECZKY LAJOS.

GRÓF BALASSA BÁLINT JELENTÉSE NEJE GRÓF SZUNYOGH KATALIN HALÁLÁRÓL ÉS TEMETÉSÉRŐL — GRÓF SZUNYOGH GYULÁHOZ.

I.

Illustrissime domine, frater et affinis mihi confidentissime.

Voto salutis praemisso, addictissimam servitiorum meorum paratissimamque commendationem.

Utinam laetiora scripsissem illustrissimae dominationi vestrae — optassem. *Meum Paschale Alleluia in luctum versum est.* Nam charissimam conthoralem meam 16 praesentis inter 8 et 9 matutinam ex hac luce Deus in aeternam evocavit. Cujus sepultura honesta quando, et ubi locorum sit futura — illrmae dominationi vestrae significare admaturabo.

In reliquo illustrissimam dominationem vestram diu feliciterque bene valere desidero.

Datum in arce Kékkő, die 20 Aprilis A<sup>o</sup> 1667.

Illustrissimae dominationis vestrae

Frater et affinis ad serviendum paratissimus

C. *Valentinus Balassa mp.*

P. S. Illustrissimae dominae comitissae et conthoralis vestrae illmae dominationis mea humillimia servitia offero.

*Kivül gyászpecsétes borítékön a czim*: Illustrissimo Domino Domino Julio Szunyogh de Budethin Libero Baroni in Bielszko etc. domino fratri et affini mihi confidentissimo.

II.

Illustrissime domine, frater et affinis mihi confidentissime.

Salutem et servitiorum meorum paratissimam commendationem.

Toti humano generi minacis fatali arcu intortum, nec evitabile mortis telum, cum dilectissima quoque olim et solaminis mei plena comitissa, Catharina Szunyogh de Budethin, conthoralis mea desideratissima, declinare minime valuisset, moerore meo acerbissimo, nec ullis